

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

X. Morus

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

in altissimo cœli clypeo: *cavum enim clypeum: Ennius item ad cavationem; Cœli ingentes fornicces. Quare ut à cavo cavea, & caule, & convallis, cavata vallis, & coracium; ut cavum sit ortum, unde omnia apud Hesiodum, à cavo; à cavo calum. Hæc Varro. Cui astipulatur Lucretius, cum dixit, Cautas ætheris. Ego itaque calum, cum æ scribo, cum doctissimis, & verba Plinii, Varronem citantis, corrupta vel aliena puro, quæ sic legenda censeo; Cælum qui-  
*At vide supra ad dem haud dubie cavari argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. pag. 595.**

Atque hætenus de novem nominibus, quæ Augustinus Datus suscepit confutanda: Nunc nos ad alia transeamus, quæ à maximi nominis Grammaticis, & Rhetoricis per Antiphrasin dicta passim adducuntur.

## X. MORUS.

**P**linius lib. 16. cap. 26. Sicut Morus, inquit, quæ novissima urbanarum germinat; nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum. Ex his Plinii verbis multi ansam cepere, ut docerent, *morum*, dici per antiphrasin, quia minimè sit stulta: *μωρος* enim stultum, & dementem significat. Alciatus in Emblematis, postquam dixit de Amygdalo, subdit;

*Serius at Morus, nunquam nisi frigore lapsa  
 Germinat, & sapiens nomina falsa gerit.*

At verò nec Plinius id sentit, nec si sentiret, illi subscriberem. Res autem sic se habet: Multa nomina apud Græcos scribuntur per *αυ* diphthongon, quæ Latini nunc

per *au*, nunc per *o*, enunciarunt; ut, τῶν τῶν, *taurus*; αὐλῆ, *aula*; Καύκασος, *Caucasus*; αὐρίων, *aucium*. Orata, inquit Festus, genius piscis appellatur, à colore auri, quod rustici Orum dicebant; ut, aurículas orículas. Itaque Sergium quoque quendam prædixit, quod & duobus annulis aureis, & grandibus uteretur, Oratam dicunt esse appellatum. Hæc Festus. Quin & sæpe apud antiquos, *au*, migrabat in *o*, ut *cauda*, *coda*; *Caurus*, *Co-*  
*rus*; *plaustrum*, *plostrum*; *cautes*, *cotes*; *caudex*, *co-*  
*dex*; *plaudo*, *plodo*, *explodo*; *Plautus*, *Plotus*; *cotio*, *cotio*; ut apud Plautum; *Nibili cotio est*. Eodem igitur pacto ex *μαυρός*, id est, obscurus & niger, fit *moras*, cujus fructus niger est. Quid, quod etiam \* apud Græcos in usu est, *μορίδα*, pro ipsa arbore mori? Sæpissimè Hispani, faciunt *o*: ut, *Taurus*, *toro*; *aurum*, *oro*; *laurus*, *loro*; *pausas*, *posas*, *Maurus*, *Moro*, *moral*; *laus*, *loor*; *laudare*, *loar*; *Paulus*, *Polo*; *cauda*, *coda*; *causa*, *cosa*; *paucum*, *poco*; *audire*, *oyr*; *auditus*, *oydo*; *cantum*, *coto*; *caules*, *coles*. Et Italicè *Moro*, significat fuscum; ut apud Tassum in *Amadigi canto*, 57.

Un Gigante nel volto arsiceto, & moro.

## XI. MILES.

**F**Esti Pompeji hæc sunt verba; *Militem E-*  
*lius à mollitia, καὶ ἀντιφρασίον*, id est, per  
 antiphrasin, dictum putat, eo quod nihil molle,  
 sed potius asperum quid gerat: sic ludum dicimus,

\* Apud Græcos in usu est] Immo & ipsum *μορίδα* pro fructu. Unde proinde rectius, repugnantè licet *profrodia*, deducit Vossius Latinam vocem.